


fam.e. adduces: Infra vero ad primū ex tribus spacijs designatis intra transversas. f. b. Quia vero digitos spectat, attingere debet angulum transversae. f. et recte. 3. Calcaneū autem versus, excedere rectam. ff. intra transversam. e. f. Post hoc calcaneum ita rotundabis ut in transversa. f. attingat perpendicularē. d. Et supra adduces ad angulum qui efficitur linea de puncto. 3. decedente in transversam. e. intra. ff. d. in transversa. a. In deo neruum tibiæ seu tenoniam sursum educes. Talum exteriorem, id est, qui apparet, duces a puncto. ff. infra paulo lineam transversam, eam quæ sit media intra transversas. a. e. et supra quidem pedis montem, ac talum latitudo siue densitas erit unius. 24. Tibiaque describetur sursum a perpendiculari. f. utrinque. Calcanei autem formam in pede et sub talo produces prosum deorsumque a transversa. e.

Consequenter etiam auersi pedis descriptionem proponemus. Hic includetur et ipse in quadrilaterum congruum pedis altitudini siue densitati, itemque latitudini, secundum transferentem vero lineæ et puncta inducentur, quibus omnes pedis partes discernantur et declarentur. Sed in figuracione seruabitur situs diuersus talorum: interior enim erit elatior, exterior depressior. Latitudinem vero in monte per talos facies unius. 26. per lineam uero mediam intra transversas. a. e. unius. 31. Verum tibiam supra talos diducet in unam. 34.

Simili ratione et aduersum pedem poteris exprimere. Quæ quidem omnia, ita ut a nobis præceptis sunt comprehensa, studuimus depicta quoque omnibus lineamentis suis subijcere oculis, cupientium hæc cognoscere, quo præceptis quasi lumen quoddam inferretur. Quantopere enim cognitione exempla instruere possint, constat compertisque est.



Explicata etiam pedis ratione, in sequentibus caput muliebre exactius quæ supra describam. Ingrediar autem eam uiam qua superius capitis uiriliter exquisitiorē vestigauim. Sicut igitur in imaginibus altum te facere alicubi iussimus muliebre caput unā. 8. Ita nunc quoque facies, inque hac exactione quantitatem accomodabis ad uiriliter capitis accuratum modum. Nota autem res ita peragetur.

Quadrilatera tria collocabis, transferentis usus ad miniculo. Horum unumquodque altitudinem habebit unius. 8. Primum etiam similem latitudinem, sicque erit quadratum, Reliquorum utriusque latitudinem facies unius. 10. Quadratum dabitur obliquo capiti, Et reliquis unum aduerso, alterum auerso ascribetur. Vna uero latera litteris insignies, dextrum quidem qua nasus osque spectat litteræ. a. nota, sed sinistrum litteræ. b. Deinceps lineis perpendicularibus alijs, intra. a. b. totam discernes capitis latitudinem, siue ut diximus profunditatem, omnium partium quas ab aspectu ordiens retroque quasi abiens, notabis. Eas singulas appositis notis insignies, mensurationis autem numeri, erunt particule et totius imaginis longitudine. Itaque primam lineam. c. pones post. a. spacio unius. 80. Quam attinget pars ea supra frontem ubi capilli radices sunt, attingent etiam extrema supercilia, quæ supra nasum non debent coniungi. Eandem attinget et superius labrum. Deinceps aliam lineam pones. d. una ab. a. 64. eam lineam extremitate palpebræ tangant. Item labrum inferius, itemque extremum mentum. Deinceps pones lineam aliam. e. ab. a. una. 56. Ad eam attinget illa supra palpebras quasi concauitas, et extremitas pupillæ, itemque narium intima eminentia, angulusque etiam buccæ, et ea quam diximus nympham. Deinceps pones aliam lineam. f. una ab. a. 40. eam tangent oculorum anguli iuxta tempora. Deinceps lineam pones aliam. g. una ab. a. 32. eam tangent intima supercilia iuxta tempora, et illi sub maxillis quasi recessus. Deinceps lineam pones aliam. h. una ab. a. 22. eam tangent extremum collum. Deinceps pones aliam lineam. i. una ab. a. 14. eam tangent enascens auris. Deinceps pones aliam lineam. k. una ab. a. 11. ad quam extrema auris pertinet, sed ima auricula intra hæc et. i. appendetur. Deinceps pones aliam lineam. l. una ab. a. 9. eam tangent capitis vertex et commissio occipitij cum ceruicæ. Quam etiam hinc deorsum abduces. Postremo lineam. m. pones ab. a. duabus. 17. hæc definiet medice ceruicis extremitatem.

Deductis autem perpendicularibus omnibus, et notatis partibus, quæ quas attingere debeant, consequenter altitudinem, id est caput supra ac infra discernes, quod fiet lineis transferentis parallelis.

Quarum primam, quæ erit lateris superioris, facies. n. ad eam summum caput attinget. ultimam, et lateris inferioris. y. facies. Deinceps duces transversam. o. una infra. n. 80. eam tangent vertex. Deinceps duces transversam. p. una ab. n. 30. eam tangent supra frontem capillorum origo. Deinceps duces aliam lineam. q. una ab. n. 16. eam summæ palpebræ tangent. Item summæ aures, inque eadem supercilia tacebunt, in medio sui paulisper sursum excurrentia. Deinceps aliam duces. t. mediam intra. q. y. eam tangent imus nasus, et incidet in eandem, commissura ceruicis cum occipitio. Deinceps aliam duces. r. qua defecabitur suprema pars. 3. æqualiter diuisi spatij quod est intra. q. t. eam tangent palpebræ siue genæ inferiores. Sed angulum oculi utrunque, itemque pupillam in medio constitues, intra. q. r. Deinceps lineam aliam duces. s. qua defecabitur infima pars. 4.